

lus Tribus Ruben, Gad, & Manasse, in Cebur constituit, loco tridui itinere à Tili-massa distanti, ultra quem, sequitur, horrida quædam solitudo 18. dierum itinere porrecta. Dan, Zabulon, Aser, Nephtali sedem habent secundum flumen Gozan in montibus Nisbor. Meminit etiam montium Haphthon, quos Israelitarum portio à Sal-manafare translata occupaverat. Fides harum rerum esto penes Authorem; cui si quis credere recuaverit, illi loca petere, ibique Tribus querere licet; ductore tamen itineris perito opus est, seduloque prius in Tabulis Geographicis quaerenda Cebur, montes Nisbor, & Haphthon.

Olaus Rudbeckius, filius Cl. Rudbeckii Authoris Atlantici, in sua Laponia illustrata defendit, non aliò quàm in ultima Septentrionali, nempe in patria sua Laponia, quaerendas decem Tribuum reliquias, cujus opinionis generales quasdam affert conjecturas, & ritus quosdam aequè apud Judæos Laponesque obtinentes. Quæ si valuerint, nulla non regio decem illis Tribubus assignaretur. Leges Vitium Dissertatione 2. qua probat Evangelium non ante ad Americanos deductum, quàm post frequentatas eorum regiones ab Europæis.

Postquam igitur frustra quaerendis decem Tribubus sub his Ducibus varia loca lustravimus, nihil nisi sublesta fidei conjecturas nacti, hæc habemus, quæ ex itinere referamus. Decem Tribus nulla habent certa in Orbe loca, quantum novimus, ubi simul omnes in unum populum coalescant; neque seorsum singulæ certam habent fixamque sedem, quam ita teneant, ut à cæteris distinctum populum constituent. Sed variis in locis & regionibus, reliquias infelicis populi cernere licet, qui in varias dispersus partes, nec gentem amplius, nec populum ab aliis discretum efficit, juxta vaticinium Isai. 7. 8.: Desinet Ephraim esse populus. Jacent ubique inglorii sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, Temploque, nullo Sacerdotii, & Numinis honore, ut neque Judæos amplius, neque Paganos referant, juxta illud Osee 3. 4. Dies multos sedebunt filii Israel sine Rege, sine Principe, sine Sacrificio, sine Altari, sine Ephod, sine Teraphim. Frustra illi vanam potentiam extra regionem suam, qua nunquam extra regionem suam præstiterunt, jactitant. Quos Reges, & Principes genti constitutos venditant, illi non nisi in errantium cerebro Regnum, & auctoritatem obtinuerunt. Jam inde à transmigratione ad nostram usque ætatem, sine capite, & sine Republica lacerati membra cadaveris disperguntur. Si quid autem in medio gentium, & variis jactatum persecutionibus, veteris populi spectrum mansit, id Divinæ Providentiæ beneficio accepto referendum est, quæ populi sui miseratione tangitur, & infelicem populum illustre statuit documentum, sicut de veritate Religionis, ita etiam de futura in refractarios ultione.

Dispersus tamen alioqui, & in aliarum gentium nomen & corpus translatus populus, adhuc tamen altiora sui vestigia, si-

mulque apertiora sui exhibet documenta in iis locis, quæ olim, transferente Sal-manafare, incolere coactus est, uti in Assyriâ, Mediâ, Mesopotamiâ, ad Euphratem, & circumjacentibus regionibus. Jactas olim in eo solo radices, tam altè demisit gens Judæa, ut neque plures recurrentes vicissitudines, atque 24. sæculorum incursus nunquam extirpare annosam arborem potuerint. Exinde casu impellente ea latè loca penetrarunt, in quibus nominis Israelitici vestigia aliqua deprehendimus. Quamquam non si simus, qui omnia ea loca Israelitis decem Tribuum frequentari autememus; potuit enim facillè maxima illorum portio ex Judæis derivare. Tribus Juda, & Benjamin ita Judæam repetiisse ducibus Zorobabele, Esdra, & Nehemia leguntur, ut plures inter Assyrios remanerent. In censu populi apud Esdram minor sanè populi numerus refertur, quàm ut omnes duarum Tribuum populos complectatur. Quanta enim hominum turba per totam Assueri ditionem dispersa esset ex lectione libri Esther fati intelligimus. Legimus etiam in historiis frequentissimam transmigrationem Judæorum, quam Artaxerxes Ochus, post subactam Phœniciam & Ægyptum imperavit; quibus assignata regio ad mare Caspium, in Hyrcania, & Babylonia (y). Judæi Jerosolymitani Alexandrum Magnum rogarunt, ut liberum Legis, & Religionis exercitium permitteret Judæis Mediam, & Babyloniâ tenentibus (z).

Concessa quidem à Cyro Tribubus Juda, & Benjamin facultas in patriam remeandi; favor, quo universa Judæorum gens sub felici, & diuturno Assueri Regno per orientem fruebatur, conciliante illis gratiam Esther Regis conjuge, & Mardocheo qui Regi proximus imperabat; ac tandem patriæ ubertas, quam Principis privilegia cumulabant; hæc simul omnia plures Israelitarum, ut in Palæstinam reditum optarent, vehementer impellebant. Insitus est enim mortalibus omnibus in patriam amor; quo Hebræi, si quis alius populus, tenebantur magis, utpotè promissa patribus suis terræ studentes. Hæc verò concessa duabus Tribubus facultas non angustiis ita limitibus terminabatur, ut vel sub ejus nominis obtentu, vel quacumque tandem alia de causa ad cæteras non propagaretur. Id autem compendio suo Judas reputabat, si reliquas Tribus à servitute liberaret; in unum enim populum Judæis omnibus coalescentibus, quanto major populi turba regrediebatur, tanto viribus & potentiâ augendus fuerat; sicut vicissim majori munimento se contra Samaritanos veteres regionis occupatores tueretur. Servendum erat insuper Divinæ Providentiæ consiliis, quibus ita disponendæ res fuerant, ut vaticiniis Prophetarum non obscurè nec semel reditum decem Tribuum prænucciantibus, sua fides constaret. Quomodo etiam Jesus Christus fidem universo Israeli annunciare potuisset, si in Judæam veniente illo, insignis ejus gentis portio alibi versaretur? Non-

y Jul. African. apud Georg. Syncell. Oros. lib. 3. cap. 7. z Joseph. Ant. lib. 11. cap. ult.

a Matt. 10. 6.

b Matt. 2. 18. c Matt. 4. 13. 25.

d Vide Osee 2. 10. & 11. 10. 11. 12. Ezech. 4. 6. & 37. & 38. & 39. Amos 9. 4. & c.

ne debuisset Christus, qui missum se ad oves, quæ perierant domus Israel, profiteretur (a), remotas illas regiones adire, quod scilicet miseris illis gentibus, & in umbra mortis versantibus latum exorta lucis nuncium afferret? Nonnè ita Apostolos egisse, ac locutos scimus, ac si cum omnibus Judæis rem habere se persuaderentur? Nonnè in eam sententiam vaticinia de Ephraim (b), Nephtali & Zabulon (c) exposuerunt, quasi scilicet singulas eas Tribus avitas hæreditates tenere persuaderentur?

His omnibus gemina opponunt. x. De reditu in patriam decem Tribuum nihil satis expressum uspiam in Scriptura legi. 2. Decem eas Tribus adhuc in dispersione manere compertum esse. Quibus ego respondeo: 1. Nuspjam in Scriptura quidem ejus rei historia legitur; nuspjam etiam apparet edictum aliquod Regum Chaldæorum, sive Persarum hanc populo facultatem indulgens. Sed ejus rei defectum suppleat non obscura Prophetarum oracula (d), quibus de reditu illorum, quemadmodum & de Juda, nihil ambigendum reliquitur. Nec tamen Israelitas omnes decem Tribuum in Palæstinam rediisse con-

tendimus, quemadmodum nec ex Juda, & Benjamin omnes sub Zorobabele, Esdra, & Nehemia avitas sedes repetierunt. 2. Potuit sensum, & per turmas populus rediisse, ut nulla satis frequens transmigratione in Annales referenda contigerit. 3. Id potissimum ad Alexandrum Magnum referri potest, à quo, referente Josepho, Judæis omnibus concessa facultas avitas sedes repetendi (e). 4. Non levibus argumentis docemur, Jesu Christi, & Apostolorum ætate Judæam omnium Tribuum Hebræis frequentari.

Iis quæ secundo loco objiciebant, ita respondeo, ut argumentum in adversarios regeram. Compertum tenemus post Cyri, & Darii Regnum non infrequentes è Tribubus Juda, & Benjamin Judæos per omnem latè Europam, Asiam, & Ægyptum vagatos; quid ergo? an sub Zorobabele Esdra, & Nehemia Tribus illæ Judæam non repetierunt? Plus nimio, vel nihil argumentum probat. Quod nostræ opinioni de illo invidia creetur nihil est; poterant enim Israelitæ decem Tribuum magno numero rediisse, pluribus aliis relictis. Leviori brachio hæc attingimus, peculiari Dissertatione alibi discutienda.

e Joseph. lib. 1. contra Apion.

IN PRIOREM LIBRUM ESDRÆ PROLEGOMENON.

Inter Principes viros, qui politiz Republicæ Judaicæ in melius reformandæ atque cultui Domini restituendo post solutam captivitatem Babylonicam utilem operam impenderunt, Esdras jure meritòque constituendus est. Præstita genti suæ maximi momenti obsequia, peritiam Legis, quæ viro immortale nomen pepererat, id apud mortales valuerunt, ut plurimum insignium facinorum gloria temporis successu amplissimo viro tribueretur. Accessit insitum Judæis ingenium omnia in majus efferendi, quo summi viri laudes etiam veritatis dispendio amplificarentur. Ita Malachiam cum Esdra confundendum arbitrantur (a); huic inventæ Masoræ, & punctorum vocalium honorem; hunc reparatorem Sacrarum Scripturarum, Authorem Canonis Hebraici, quo Libri Sacri ad 22. determinantur, autumant. Sunt tandem qui veteres Scripturas Hebraicas novis Chaldæis characteribus ab illo traditas credant; quibus de rebus omnibus legendi Virorum eruditorum Tractatus, & Dissertationes nostro huic Prolegomeno subiiciendæ.

Esdra è Sacerdotali genere nato pater fuisse à nonnullis creditur Sarain Sum. Dissert. Calmet. Tom. I.

Mus Sacerdos neci traditus à Nabuchodonosore in Reblata post captam Jerosolymam; facilius tamen credimus eum virum vel avum, vel proavum Esdræ fuisse; vix enim aliter temporum ratio patitur, nisi fortè virum illum ultra 150. annos vitam prorogasse dixerimus. Venisse primum Jerosolymam unà cum Zorobabele creditur, repetensque deinde, uti ferunt, Babylonem, quod profequendæ ædificationis Templi negotium urgeret, dein anno 7. Artaxerxis iterum Jerosolymam se contulit. Studio Legis à teneris addictus, adeo in eo scientiæ genere excelluit, ut Scriba vellox (b) in Scriptura appellaretur; quod viro nomen non ex facilitate scribendi, sed ex intima patriæ legis cognitione inditum constat. Anno septimo Artaxerxis Longimani, bonâ Principis veniâ, Judæa iter unâ cum voluntariis ejus via sociis inivit; factâ simul à Rege copiâ deferendi Jerosolymam aurum, & argentum ex oblationibus populi collecta, unâ cum vasibus auri, & argenti in usum Templi, mandatis insuper oneratis Regii Præfectis per Syriam, ut quæcumque necessaria in obsequium Domini, auri argentique, frumenti, vini, olei, & salis ad sacrificia, abundè sufficerent. Concessa pariter Sa-

b 1. Esdr. 7. 6. Sophet mahir.

cerdotibus, cæterisque Templi ministris à vestigialibus, & oneribus omnibus immunitas; permittitur Esdræ Judices, & Præfides constituere, quibus in civium necem vitamque, si quid in legem, vel Principum jussiones attentassent iniquius, jus esset.

Tot igitur privilegiis auctus Esdras iter unâ cum sociis aggressus est, & cum ad amnem Ava pervenisset, lustratâ suorum manu, neminem Levitici generis deprehendit; quare missis ad montes Caspios Legatis, qui eodem montes tenebant Judæos, ut unâ secum Jerosolymam venirent, invitavit. Horum accessione 38. Levitæ & 200. Nathinei in obsequium Templi collecti sunt. Secundum hæc, Dei ope precibus, & jejuniis imploratâ, resumpto itinere Jerosolymam pervenit. Ibi sacrificia obtulit, & vasa oblationisque pariter omnes in ærarium Templi seposuit; tum versæ illius curæ tollendis abusibus, qui in populum irrepserant.

Cum ex optimatum relatione audisset, inter Israelitas plurimos connubia cum scæminis, quibuscum interdicta commercia miscuisse, altè eo nuncio fauciatus, vestes doloris sensu actus dilaceravit, evulsisque crinibus, & barbâ, terræ assidens, qua lacrymis, qua jejuniis veniam à Domino deprecabatur. Infueto viri habitu populus permotus in Templo illum convénit. Tum Esdras mœroris sui causâ indicatâ, quid factu opus esset consultavit. Visum est Optimatibus, ut innovato cum Domino fœdere mulieres alienigenæ, & nati ex illis liberi remitterentur. Nec mora, publicato per universam Provinciam edicto Hebrai Jerosolymæ se sistere jubentur: si quis contra faxit, omnibus bonis suis, & jure gentis multandus.

Condictâ igitur die omnes in unum cœtum collecti, quæcumque ab Esdra fancirentur, servaturos se polliciti sunt. Cum tamen gravius anni tempus jam invalesceret, nequæ ædes suppeterent, quibus se ab injuriis Cœli in tutum populus reciperet, selectis ad eam rem viris negotium commissum est, ut per Urbes discurrentes ab alienigenarum scæminarum malo loca purgarent.

Secundum hæc, Esdras totum se instruendo populo, & exponendâ Legi, quæ illi potissima fuit reliquæ vitæ occupatio, se contulit. Ita sub Nehemia religioso huic ministerio, legendi nempe, & exponendi Legem infrequenti populi concione potissimis recurrentibus anni solemnitatibus in Atrio Templi, intentum videmus [c]. Reliqua ejus viri gesta omnia latent, neque enim habendum hic sermonem censemus de iis, quæ in quarto Libro Esdræ nomine inscripto leguntur. Ejus Operis Authorem amplissimum viri nomen impudenter ementitum infra demonstrabimus. Hunc non minus gloriâ, quam annis plenum obiisse, & magnifico funeris genere defuncto ejus corpori Jerosolimæ parentatum Josephus est author (d). Ejus obitum ante inductum de Nehemia sermonem idem Josephus describit, quamquam habemus compertum Es-

c. 1. Esdr. 8. 1.

d Antiq. l. 1. cap. 5.

dram sub eo Principe vixisse, atque in cæremonia dedicationis Moenium Jerosolymæ inter viros amplissimos locum habuisse (e). Quicumque Babylone reducem primâ vice unâ cum Zorobabele virum constituunt, illi vitam ejus ultra 120. annos prorogant. Vide Comment. in 1. Esdr. 12. 1. In Perfide obiisse cum secundo ad Artaxersem repeteret, à Judæis literis mandatum est, ejusque tumulum in ejus regionis urbe Samuza ostendunt.

Extant sub ejus nomine quatuor Libri, quorum duo priores unâ contextus serie apud Hebræos continuati, in Canonem universæ Ecclesiæ summo omnium assensu recepti sunt. Duo posteriores ad apocrypha ab Ecclesia Latina rejecti, in constituendis Religionis dogmatibus auctoritatem obtinent nullam; quanquam apud Græcos tertius cum geminis prioribus in Canone recensetur. De singulis seorsum agemus. Primus Liber, cuius nomine inscribitur, ejusdem genuinus creditur, in quo plura sibi oculato testi explorata, quorum ipse potissimus Author fuerat, Esdras literis consignat. Sex priora capita historiam complectuntur libertatis à Cyro Judæis concessæ, adventus Zorobabelis Jerusalem, restitutionis sacrorum in Templo, sicut & sacri illius ædificii reparati, plura interim adverbis Judæorum in contrarium molientibus; intermissi etiam operis Artaxerse jubente, implementibus vicissim Prophetis Aggæo, & Zacharia, ut ædificium resumeretur; ac tandem Darii Literas absolvendum permittentis.

Aderat inter cæteros Author, cum Legati Regis Persarum Jerosolymam venientes quæsierunt, qua facultate Judæi intermissum opus resumerent (f): Ad quod respondimus eis, addit, que essent nomina hominum auctorum ædificationis illius. Cum pariter historiam narrat reditus Esdræ in Judæam, copiâ redeundi per Artaxersem factâ, Scriptor de se nunquam non loquitur, quasi Historicus simul & potissimus rei author. Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde Regis &c. & in me inclinavit misericordiam suam &c. & ego confortatus manu Domini Dei mei, que erat in me, congregavi de Israel Principes (g). Eadem semper phrasis usque ad exitum Libri regnat. Ex quo aperto satis argumento discimus, totum ab exordio Librum Esdræ auctori tribuendum. Quædam tamen in hanc sententiam opponunt.

1. Author Operis Jerosolymæ versabatur, cum missi à Rege Persarum Legati Judæos de resumpta ædificatione interpellarunt (h), ut in superioribus demonstravimus. Porro Esdras nonnisi diu post Zorobabelem rediit; quare cum Persæ Jerosolymam venirent, abfuisse debuerat (i). Huic argumento duo reponimus. 1. Esdras potuit semel & iterum Jerosolymam venire, primò cum Zorobabele, ac deinde iterum Babylonem repetens facultatem ædificandi Templi à Rege impetraturus, tandem eâ obtentâ, iterum se in Patriam contulisse (k). 3. Quando ille abfuisse, adhuc

e 1. Esdr. 12. 26. 33.

f 1. Esdr. 5. 3.

g 1. Esdr. 7. 27. 28.

h 1. Esdr. 5. 4.

i Huet. De mon. strat. Evang. prop. sit. 4. pag. 166. k Vide Commentar. nostr. in 2. Esdr. 12. 1.

tamen quasi præfens loqui potuerat, recepto satis more, ut Scriptor e. g. Judæus, Romanus, Gallus ita de rebus gentis suæ quasi de propriis agat, & absens alioqui quasi præfens loquatur. Hoc ita familiari sermone usurpatur: Diximus, loquuti sumus, vivimus, &c. quæ loquendi formulæ non semper Scriptoris presentiam rebus ab eo narratis, sed tantum sententiarum, morum plerumque cum illis, qui præfentes fuerunt conjunctiones designant.

Objiciunt secundo, Authorem primi Esdræ censum retulisse sub Nehemia tantum institutum; qui etiam ferè totidem verbis in Libro ejusdem Nehemiæ nomine in Hebræo inscripto legitur. Hujus igitur historiarum, quæ in exordio Libri occurrit, alterum ab Esdra Authorem fuisse oportet. Hanc objectionem in Commentario occupavimus; duo tantum addenda. 1. Quando hunc censum totum ad Nehemiam pertinere concederemus, potuit tamen non incongruè ab Esdra, qui ad Nehemiæ ætatem vitam produxit, in scriptis referri; familiare est enim Scriptoribus, ut alter ab altero ejus generis documenta mutentur. 2. Nehemias plura se ex veteri scripto sub Zorobabele derivasse profiteretur, 2. Esdr. 7. 5. Inveni librum censûs eorum qui ascenderunt primùm (Haolim barisbonah). Huic censui ipse nomina eorum adjecit, qui secum, & facile etiam quicumque cum Esdra ascenderant. Nec additamentum suum dissimulat, ita enim censum exorditur: Ipsi filii, qui ascenderunt de captivitate cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Azaria &c. Summam igitur præcedentium censuum retexuisse Author videtur.

At enim cur census Esdræ inde exordium ducit, unde & Nehemias? qui utrinque virorum summa constat ad 42360. (l)? Ideo fortasse, quia Esdras censum Nehemiæ ipsis penè verbis descripsit. Facile etiam Amanuensis aliquis prioris censum jam ductum ad normam Nehemiæ fustorem, & numero hominum majorem reformare potuit, & ut major constaret similitudo, eundem titulum, quem in censu Nehemiæ nactus est, adscribere alteri voluit. 3. Si Esdras præcedentes census sub Zorobabele, & Esdra complexus est, cur utrinque Esdræ nomen siletur, cum tamen nec Zorobabelis, nec Josue Summi Sacerdotis, ac Nehemiæ desideretur? Respondeo, nomen Esdræ in altero censu

l 1. Esdr. 2. 64.

seorsum à Nehemia (m) relato, in quo nomina Sacerdotum, & Levitarum cum Zorobabele ascendentium, adscribi. Quin etiam Esdras ipse satis se in fronte census eorum, qui secum ascenderunt, apposuit (n): Hi sunt Principes Familiarum, qui ascenderunt mecum de Babylone.

4. Tandem si prima Libri capita Esdræ Auctori tribuantur, atque rediisse sub Zorobabele statuatur, debuit vitam ad 120. annos producere. Esto; an homines id ætatis vixisse impossibile est? Esdras ineunte juventâ à Babylonia primum rediit; deinde quòd ætatis robore, sicut & agendi dexteritate valeret, ut rediret destinatus est. Omnia hæc prona sunt.

Autumant nonnulli, utrumque Librum Esdræ eidem Auctori tribuendum, cum ambo unâ contextus serie apud Hebræos continentur (*). Author prioris Libri, addunt illi, refert uno in censu viros, qui nonnisi sub Nehemia ascenderunt; & Author secundi meminit Darii Condomani, ab Alexandro Magno Regno exuti, & Jeddæ, sive Jaddi, qui victorem illum Regem Jerosolymæ excepit; quare alterum fuisse oportet Librorum Authorem ab Esdra, & Nehemia, & cum Alexandri Magni ætate, vel etiam post Macchabæos componendum [o]; quanquam ut nominis veneratione gratiam sibi apud Judæos conciliaret, Esdræ sibi nomen adoptavit.

Has objectiones antea satis occupavimus. Junguntur Libri apud Hebræos ex connexa utrinque rerum serie. Olim Biblia universa unum ferè perpetuum volumen constituebant; deinde ad arbitrium pleraque in Libros dissecta sunt. Potuit Amanuensium operâ irrepisse in Textum Nehemiæ locus de Dario, Jeddæ, & Sannaballat. De censu satis supra mentem nostram explicavimus.

Primus Esdræ historiam complectitur 82. annorum, ab initio Cyri in Babylonios Regno A. M. 3468. ad usque 19. Artaxerxis Longimanti, qui Nehemiam Jerosolymam misit A. M. 3550.

Epistola Reum, & Samsai ad Regem Artaxersem adversus Judæos (p), quem admodum & altera Regis ad ipsos, ac tandem capp. 5. & 6. usque ad ver. 19. Chaldaicè scripta sunt. Ita pariter exaratum est edictum Artaxerxis Esdræ traditum (q); reliqua Hebraico sermone constant.

m 2. Esdr. 12. 1.

n 1. Esdr. 8. 1. & seq.

* Vassor De la Verité de la Religion, l. 2. par. 3. c. 6. Author Traité Theologico-Polit. c. 4.

o Ita Auth. Traité Theologico Politic.

p 1. Esdr. 4. 7. 8. ad cap. 5.

q 1. Esdr. 7. 12. usque ad ver. 27.